



Kern 3481 (i-ii)

538

6

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
INQIRENS QVAESTIONEM:  
**QVATENVS PHRENITIS**  
**PROPRIVM SIBI LOCVM**  
VINDICET IN  
**SYSTEMATE AEGRITVDINVM?**

---

QVAM  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTTATIS MEDICAE

IN  
REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. IOAN. FRID. GOLDHAGEN,  
MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE NATVRALIS  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, CIRCVLI SALICI,  
COMITATVS MANSFELDENSIS ET CIVITATIS  
HALENSIS PHYSICO,

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

SOLLEMNITER CONSEQUENDO

AD D. IV. OCTOB. MDCCCLXXXV

H. L. Q. S.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

IOAN. CAROL. FRID. WEINSCHENK  
MAGDEBURGENSIS.

---

HALAE  
TYPIS FRID. DAN. FRANCKE.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-306121158-11

DFG

VIRO  
ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI CHRISTOPHORO  
WEINSCHENK

MEDICINAE DOCTORI POTENTISSIMI  
BORVSSORUM REGIS AB AVLAE  
CONSILIIS

PATRI SVO OPTIMO  
PIETATIS FILIALIS PIGNVS  
D. D. D.

OBSEQUENTISSIMVS FILIVS  
IOAN. CAROL. FRID. WEINSCHENK.





---

§. I.

**A**n trita illa Pathologiae in generalem ac specialem diuisio, eiusque ad hanc normam ut vulgo fieri solet instituta explicatio, in emolumen tum artis medicae vere comparata sit, nec ne? quaestio mihi videtur esse parum huc usque mota, neque tamen quae serio moueat ur, omnino indigna. In prima huius disciplinae parte, si a praemittendis discesseris notionibus, veros partium corporis humani morbos, eorumque symptomata aequa ac causas tradere solent. Naturae humanae vires et qualitates quomodo a statu naturali discedant, inquirunt. Ita verbi gratia de sensibilitate, irritabilitate, motu, copia humorum et sic porro, sermonem instituunt, hinc veros morbos eruere tentant. Promanant exinde pauci morbi, et

A 2

hi

hi tamen causas variarum aegritudinum vere  
sistunt. Ipsa vero sic dicta specialis disciplinae  
pars, quid aliud proponit quam historiam va-  
riii concursus, nexus, ortus quoad sympto-  
mata et morbos hac vel illa ratione saepissime  
et constanter obseruati? Tradunt in hac altera  
parte ipsas aegritudines easque certe valde nu-  
merosas. In explicandis vero earum causis  
semper iterum ad veros morbos in prima parte  
iam explicatos configere videbis, id quod et  
postulat omnis rei natura. Febrem verbi gra-  
tia morbillosam ut specialem aegritudinem con-  
stituunt, eiusque internam naturam sive causas  
fanandas explicaturi ad dictos morbos genera-  
les configuiunt, verbi gratia ad humorum or-  
gasnum, putredinem, systematis neruorum  
morbificam conditionem, forte ad acrimoniam  
et sic porro. Simile quid valet in quacunque  
aegritudine sic dicta speciali. Hoc autem fre-  
tus argumento, qui ideo omnem huius disci-  
plinae partem specialem relegare vellet, eum  
egregie errare statuerem. Verum est, et con-

sen-

sentiunt omnes artis periti: valorem inesse generali Pathologiae aequae ac Therapiae qui quidem speciali harum scientiarum parti minime competit. Addere argumenta quae hoc evincant vberius, superuacaneum esse existimo. Notissima enim sunt quae in Philosophorum scholis de his praecipiuntur; neminemque fugit, in ipsa rerum humanarum natura, multas obuias venire aegritudines, quibus nulla omnino respondet morbi specialis pictura, nulla Therapiae specialis medendi methodus. Et in his quae saepe circumstant conditionibus quid quaeſo moliendum? Tanquam ad sacram ancoram ad utriusque disciplinae generalem partem configiendum est, cuius certe pracepta filum nobis praebent, quo per omnem vel complicatorum morborum labyrinthum egregie ducimur, et quo ducti alios quotidie in exercitio artis anxie haefitantes videre nobis licet, quippe qui coram lectis aegrotantium Pathologiae specialis aegritudines depictas aut Therapiae specialis medendi methodos, nunc

A 3

vbi-

vbiuis applicandas, quaerunt, optant, sed fru-  
stra omnino ea omnia moliuntur. Ab altera  
vero parte cauendum tamen est, ne quid nimis  
laudi detrahamus Pathologiae speciali. Sunt,  
ut pauca moneam, symptomata, signa morbo-  
rum, combinantur quaedam constanter, decur-  
sum absoluunt exacte; faciet itaque eorum cog-  
nitio ad diagnosin aequa ac ad prognosin ege-  
rie. Imbutus aegritudinum speciali historia  
perfecta, in statu morboſo vix quidpiam vi-  
det praeter exſpectationem, eventum licet prae-  
ſagire, variaſ morborum mutationes naturales  
et ſic alia. Iam vero hinc (quid enim plura?)  
dicta illa diuifio iure admittenda. Alias vero  
hoc loco duas mouerem quaefiones, argu-  
menti ſimilis, momenti maioris. Primum  
nempe: *an* omnes in ſystemate admissae ſic di-  
ctae ſpeciales aegritudines, quae admissae fue-  
rint, dignae? Deinde vero: *vbi* quaefio gene-  
ralis regula hanc, ſi de hoc illoue ſtatu mor-  
boſo quaefio eſſet litem ſeponens? *vbi* funda-  
mentum verum, quo ad ferendum tale iudi-  
cium



cium vti liceat? Patet, alteram quaestionem prius inquirendam obuenire, vt respondeas ad primam. Hac vel illa ratione haec illae symptomata et morbi nexus ineunt, decurrunt, et inde specialem fistunt aegritudinem. Sed pateat clarius quo iure nunc fistant eiusmodi aegritudinem? Ut hanc fistant, qualia symptomata esse oportet, an, quae eminent? quae constanter eueniunt? qua ratione nexa esse cupis, qua decurrere, vt tibi fistant iure aegritudinem specialem? Quantum ego quidem video, constantiam quam circa nexus et decursum symptomatum morborumue quorundam saepissime obseruauerant, primum hic tacite posuerunt fundamentum. Febris intermittens tertiana, aliaque innumera mala huius rei manifesta praebent exempla. Fuit perpetua quedam quorundam symptomatum morborumue societas; decursum absoluuerunt constanter; vtrumque obseruatum est vel sexcenties, hinc morbi specialis idea. Laudandum est certe, de quo dixi, fundamentum. Venit autem

A 4

mox

mox aliud in mentem quod a symptomatibus  
 quae mirifice eminere videbantur petierunt.  
**Quot** nonne hinc constitutas habebis aegritudines?  
 Eminet inter alia symptomata verbi grata  
 tia abdominalis expansio acuta ab aëre, hinc  
 tympanites; praesto est sensuum cessatio cum  
 respiratione laboriosa, hinc apoplexiae notio  
 et sic porro. Et hoc fundamentum in genere  
 probandum, multo minus tamen securum, et  
 ut verum evadat et sanac Pathologiae principiis  
 respondeat, hac illave limitatione egere omni-  
 no mihi videtur. Fac eminere symptomata,  
 sunt tamen et erunt symptomata, ideoque ut  
 fere cum Galeno loquar sicuti ipsum corpus  
 umbra, morbum sequuntur. Accedunt alia.  
 Qualia sunt quae iure eminere symptomata ex-  
 istimabis? quae notatu et quae specialem ae-  
 gritudinem fstant digna? iisdem symptomati-  
 bus multifaria competit origo, ut taceam plura.  
 Hinc est, quod in dies hanc (sit venia verbo)  
 symptomaticam Pathologiam magis magisque  
 negligendam esse medici sentiant, adspirantes

ad

ad systema aegritudinum naturale. Amplecti  
vero studeamus quae tacite forte hucusque alia  
posuere fundamenta generali regula, vt, qua-  
les admittendae sunt in specie aegritudines, sci-  
re et diiudicare nobis liceat. Ni fallor, erit  
haec. Ut maxime specialis quaedam sympto-  
matum morborumue determinatio (facta vel  
quoad concursum, decursum, aliasue condi-  
tiones) ad aegritudinem quae *hinc* perficitur,  
sanandam speciatim conferre quid poterit; ita  
maxime, quae specialis habeatur aegritudo,  
quae proprium sibi inter caeteras vindicet lo-  
cum, erit digna. Qua vtimur speciali deter-  
minatione ad aegritudinem constituendam, ea  
ita sit comparata, vt *inde* negotium practicum  
quid hauriat in specie, determinetur specialis  
medendi methodus, ne multa, verum et in  
specie determinatum emolumentum redundet,  
practico medico iure exoptatum. Hoc autem  
fundamento nititur etiam, quam supra excita-  
vi prima quaestio. Huius vero perfectam ex-  
plicationem libris conscribendis parem esse,

nemo non facile intelligit, cum vel innumeræ sint, quas constituere aegritudines. Sufficiat igitur, vnico Phrenitidis exemplo periculum facere, vt, quatenus haec specialem in syste-  
mate aegritudinem sistat, videamus. In hoc vero tentamine si forte non omnino feliciter me versari Lector benevolus sentiat, id modo velim concedat, recte me hoc quaestionum gen-  
nus mouisse, vt quatenus morbi sic dicti spe-  
ciales locum sibi proprium in Pathologia spe-  
ciali vindicent, inquiratur exactius et ratione dicto fundamento consentanea. Vtile enim, immo et necessarium nobis esse videtur, vt simili quo dixi respectu omnem Pathologiae spe-  
cialis campum perlustrare studeant. Rite hac instituta, quam suadeo, meditatione, alias ae-  
grietudines vt speciales relegari alias admitti vi-  
debimus.

## §. II.

Delirium in febris acutis saepissime oc-  
currere, notissimum est. Delirium vero fe-  
brile

brile et ipsam cui accedit febrem similis omnino intercedit ratio. Tempore enim exacerbationis febrilis exacerbatur delirium, decrescente autem febre ipsa etiam iudicandi facultas ad suetas operationes reuerti solet. Hinc igitur delirium febrile specialem aegritudinem non sifit, quippe quod febri symptoma omnino respondet. Fac vero docuisse obseruationes de statu corporis humano morboſo: delirium quandoque ſimul cum febre ita comparere, ut inter hanc et illud nullus omnino intercedat nexus cauſalis. Haberes fine dubio aegritudinem peculiarem ab illa quae febrili vulgari delirio absoluitur longe diuersam. Iam vero rem ita ſeſe habere obſeruationes docuerunt, et ita comparatum delirium singulari Phrenitidis nomine insignierunt. Quod itaque febris et delirii praesentis magnitudo et constantia in his quae circumſtant conditionibus plane non ſibi respondent, ſed febris nonnunquam delirium, hoc illam ſequitur, haec vero illo gravior aque ac leuior eſſe potest: prima hinc oritur

pecu-

peculiaris aegritudinis suspicio. Cum haec enim vulgaris febrem et delirium intercedens ratio praesto non sit: statuere pronus eris delirium non febrem sed proprias sibi causas vindicare. Ne vero opus sit hanc quae febrem et delirium intercedit rationem multis verbis describere, *continuitatis* voce in hunc finem usi sunt medici, ideoque *delirium in febre continuum* vocant quod inter et febrem dicta illa non intercedit ratio. Singularis haec status cuiusdam morbosci conditio sufficere forte videtur, ut ita comparatam aegritudinem peculiarem habeamus. Incedamus vero ut obtinere hoc forte liceat, longe aliam viam, freti fundamento supra laudato (§. I.). Quid si ipsa *continuitatis* delirii conditione vti ita posses; ut, cum hanc videres legitima statim valeret tua conclusio ad causas delirii sanandas paucas, immo causam forte unam semper similem? Nonne si ita res se haberet, specialem hanc aegritudinis determinationem vere utilem et pratico medico maxime exoptatam fore manifesto patet?

Quid



Quid enim, adsit aliud quoddam que delirium non continuum. Quot nonne causas sanandas indicat? Mox erit tuum ad sanguinis respicere putredinem, mox ad orgasmum humorum sanguinisque inflammatoriam constitutionem, mox vero ad fortes quae circa praecordia haerent, mox ad neruorum conditionem morbificam, mox ad vermes, mox ipsam febris intermittentis proximam causam, et quae sunt alia. Iam vero in hac delirii specie, obseruata eius continuitate, remouentur plures causae sanandae; agnoscit paucas vere suas (non febriles) causas, hinc certe peculiarem fisteret aegritudinem. Ex hoc itaque praecipuo respectu quaestionem nostram inuestigandam esse censeo, non ex sola delirii continuitatis conditione. Maxime vero huius meditationis utilitatis mentionem paucis iniicere non superfluum esse existimo. Aliiquid enim certe praestitisse mihi videbor, cum benevolus Lector hisce rationibus permotus ipse inquirere velit, siquidem nostra sufficerem non videantur. Est igitur in hac acutis-

fima

sima aegritudine celerrimo opus auxilio; tempus ut in alia ceteroquin simili aegritudine minime conceditur, sed quae optima habentur, mox propinanda sunt remedia, ne, quod saepe fieri solet, mortem certissimam inducat. Remotio itaque multarum causarum quas assumunt et quae tamen forte non existunt practico medico iucundissima erit; ipsa vero delirii continuitas ad paucas facile distinguendas causas conclusionem largietur, hinc ita comparatae aegritudinis locum in systemate egregie defendere valebit.

### §. III.

Phrenitidis perfectam addere historiam eius inquirere sedem aliasue quae hoc loco saepius excitatae sunt, diiudicare controuersias; nec omnino nostro proposito respondet, nec, cum tot his de rebus iam praeceperint auctores, urget minima necessitas. Hinc igitur de his tantum adiicere liceat, quantum ad nostram deinde soluendam quaestionem pertinere videatur;

tur; et, ne sicco pede morbi historiam praeterire videar, praemissis qui praecipue caeteris audiendi sunt auctoribus, momenta praecipua breuiter enarrabo. Pertinent vero ad illos auctor egregius Brendel (eiud. Opusc. medici argumenti P. III. Goetting. 1775. p. 189.) Schroeder (Diss. eiusd. argumenti de Phrenitide ac Paraphrenitide Goetting.) Stoll (rat. med. T. II. pag. 276.) Lommius (obseruationes medic. pag. 66. edit. Amstel. 1761.) de Haen (rat. med. IX. I. §. 5.) Vo-  
gel (Praelectiones de cognoscendis ac curandis morbis §. 59.) Boerhaave (aphor. §. 771. etc.) van Swieten (commentat. in Boerhav. Aphorism. 775.) Segner (de paraphrenitide, Goetting.) Ni-  
colai (de indole ac sede phrenitidis ac paraphrenitidis) Falkensohn (Animaduersiones ad illu-  
strand. phrenit. causam. Hal. 1772.) Timmer-  
mann (de phrenitide idiopathica. 1778.) Sarcone  
(Geschichte der Krankheiten in Neapel §. 523.  
535. 545. 559. 565. 574.) Medicus (Samlung von Beobachtungen aus der Arzneiwissen-  
schaft 1764-66. pag. 456. 471. 605.) Pringle

von



von den Krankheiten einer Armee Th. 3. Kap.  
 2.) *Morgagni* (de causis et sedibus morb. Epist.  
 2. art. 8.) *Tissot* (saemtliche zur Arzeneikunst  
 gehoerige Schriften. Leipzig 1779. S. 171.)  
*Sauvages* (Nosolog. method. Edit. 1768. pag.  
 365.) Minime ego *omnes* aegritudines, quas sub  
 titulo phrenitidis in hisce libris recensitas inven-  
 nies phrenitides habeo; sed ex vario respectu  
 laudandos esse putauit hosce scriptores, inpri-  
 misque, ne quae notissima scripta sunt, postea  
 saepius repetere oporteat, et quas forte adii-  
 ciemus animaduersiones, bene liceat com-  
 parare.

#### §. IV.

Iam paucis attingam morbi historiam aliasue  
 quae ad propositum nostrum spectare viden-  
 tur conditions. Antequam ipsa primaria  
 phrenitis compareat, (de secundaria enim  
 infra sermonem instituam; vel brevi etiam in-  
 stituta meditatione vix ullus hanc, omnes ve-  
 ro illam specialem aegritudinem forte consti-  
 tuere

tuere autemabunt;) stadium melancholicum diuersimode longum mox vero trium quatuor ue hebdomadum spatium sibi vindicans, haud raro antecedere obseruatum est. Primus quem laudauimus Auctor non solum hoc sed et alterum furiosum dictum stadium descripsit egregie. Sunt vero praecipua: animi singularis inquietes (imagines rerum obversantium, curae haud eluctandae, phantasma de necessitate capiendi consilii quod magna dubiorum vis perturbat) sensationes circa praecordia molestae, anxietas cum tremore; singularis quaedam cum horroribus expauescendi facilitas, et hinc saepe fuga hominum, sermo praeceps, balbuties, linguae ac praecipue albae quandoque tumidae tremor; pauores sub somno; screatus sine tussicula; dolores variarum partium, inprimisque cephalalgia, cardialgia, dolor et aestus circa praecordia contactum fine dolore et spiritu intercepto vix ferentia, immo et ipsa circa has partes molesta pulsatio exploranti manui nonnunquam haud obscura. Accedunt sen-

B

suum

alienationes variae, vt caligines vertiginosae fugaces, difficultas auditus, suspirruss aliaue phantasmata; spalsti varii, vnde potus summa difficultas, vnde varia circa laryngem pharyngem, labia, oculos symptomata, vnde artuum perfrigeria, et vrinae quae valde urgentibus spasmis, alba et aquosa malo omnia mittitur. Alias vero vrinae biliosae sunt crudae, pelliculosae. Alui liquida viridia foetidissima spumosa, tum sicciora tum liquidiora praeter naturam. Ad canthos oculorum, quorum subtorvus adspectus est, saepe ictericu aliquid adparet, nariumque stillicidium et profluuium lacrymarum haud raro obseruantur. Denique sopores breues excipiunt expergefactiones turbulentae cum ferocia. Sequitur praeuia haec symptomata ipsa phrenitis. Eminet inter symptomata delirium. Ferocissimum esse solet. Erumpit enim aeger plerumque in furibundam iracundiam, loquacitatem, garrulitatem et stupendum musculorum robur in his aegrotantibus obseruamus. Comitatur vero hoc delirium morbum inde ab

initio

initio neque remissiones multae aut longae ut alias, hic obueniunt, sed ad mortem instan- tem vsque quandoque delirare pergunt, cuius periculum instare non raro ex ipsa iudicandi fa- cultatis integritate tandem iterum in vltimo vi- tae termino conspicua praesagire licuit. Re- missionum itaque *solita* absentia delirii ponit characterem non omnino negligendum. Quod vero multo maioris momenti est, obseruatur hocce delirium *in febre continuum*. Supra iam huius vocis veram constituimus significationem, qua quidem ut saepe fieri solet neglecta respon- sionem ad nostram quaestionem vel nullam vel negatiuam iure exspectamus, ita, ut permul- tas phrenitidis causas esse sanandas falso sta- tuant. Salua itaque delirii continuitatis con- ditione magis lucida tamen quae quandoque contingunt interualla, annotanda veniunt. Oc- cupant haec interualla tacitura saepe deliria, floccorum carpendorum stadium, gesticulatio- nes variae manuum ante faciem, motus labio- rum in sermonis speciem, oculi in locum quem-

B 2

dam

dam defixi siue celerius agitati, blestrisimus et  
quae sunt alia irritamenti praeternaturalis syste-  
ma neruorum turbantis symptomata. Ceterum  
vero vario modo, mox risu mox vociferatio-  
ne, cantu, vaticinio, saepissime tamen mani-  
festo furore feroci conspicuum est hocce deli-  
rium. Ad remittentes acutas, febris quae  
praesto est, accedit: Caelio Aureliano teste  
quandoque refert hemitritacum. Remissiones  
minus notabiles, cutis magis sicca pulsus ple-  
rumque parvus et durus instar chordae fami-  
liaria sunt huius febris symptomata. Minime  
vero delirio respondet. Mox sequitur illud,  
mox antecedit, mox simul eocum erumpit.  
Aretaei aliorumque obseruationes satis super-  
que confirmant quam dixi diuersitatem. Alia  
vero huic aegritudini adscripta symptomata  
ideo ab aliis separanda veniunt, quod nec pro-  
pria nec familiaria esse videantur, sed pro con-  
ditionum quae circumstant diuersitate mox ad  
phrenitidem accedant, mox vero omnino  
queant abesse. Referas huc verbi gratia haem-

mor-

morrhagias, respirationem stertorosam, lethargum, insensibilitatem, photophobia et cetera. Praeter syncopen vero et spasmos variarum corporis partium vix quidquam existit, quod aequa facile ac frequenter evenire hic soleat. Claudere scenam solent conuulsiones, involuntaria alui excretio, animi quies et quae sunt aliae paralytiae neruorum affectionis sequelae vulgares. Mortem vero inducunt soporosi affectus, spasmorum grauitas, inflammations, pectoris praecipue atque capitinis partes occupantes. Ad incrementa et finem praeceps morbus celeriter procedit, ideoque in numerum acutissimorum iure est referendus. Rara sunt, quae, quod vigesimum attigerit diem probarent, exempla. Remanent quandoque affectus neruorum, cum propter labem cerebri durante morbo comparatam insaniam longa, ingens virium vix remouenda prostratio, fatuitas, memoriae debilitas, etc. exoriantur inde non omnino difficulter. Haemorrhagiam vero narium et vteri copiosam, varices siue haemor-

B 3

hoi-

hoides fluentes, alui fluorem, deiectiones biliosas, sudores multos non nimios, vrinam coctam, quandoque exanthemata ut erysipelas circa collum et faciem erumpens, inter critica posuerunt naturae conamina. Quo vero iure, vera de causis huius mali theoria docebit.

### §. V.

Mali diagnosis vix vlla premitur difficultate. Non negligenda est delirii solita vehementia, diuturnitas et dicta remissionum conditio. Inde deducitur quid sit, quod vehemens quocunque delirium; saepe dixerint, nisi phrenitidem, certe phreniticum delirium; quae quidem parui ut videtur momenti annotatio magni esse ut de nostra quaestione feramus iudicium, infra dicenda satis superque probabunt. Quin noctante Vogelio omnes in Hippocraticis monumentis appellantur phrenitici, quibus mens in febre non constat. Fallitur autem qui laudatam delirii conditionem solum poneret phrenitidis characterem. Accedunt ut saepe utilia signa

signa quae ex illo quod praecedere solet melancholico stadio, subito erumpente delirio aliisque quae saepe praesto sunt symptomatibus peti posse, supra enarrata manifesto docent. Inter omnia vero dicta continuitas eminet, nec igitur quidquam nostri mali diagnosis aequa necessario postulare mihi videtur, quam ut eorum quae de febre dignoscenda medici praecipiunt, hoc loco obtinere studeamus applicationem. Hoc enim saepe neglecto momento, omnis fere nititur, quae huius loci est disquisitio.

### §. VI.

Nominibus et in genere hac vel illa loquendi ratione medico cl. dam familiari, non minus etiam hoc loco facile quis seducitur quemadmodum in omni reliqua Pathologia. Veteres aequa ac recentiores saepe de phreniticis similibusque aegris loquuntur, nec tamen morbi de quo vere agunt natura, villo modo phrenitidis verae nomen sibi vindicat. Adiiciamus,

ne nimis longi simus, diuisiones phrenitidis solemnnes, quarum plurimae argumenta fistere possunt, non sine ratione dicta hacc esse, aliae vero ad diiudicandas scriptorum sententias proprius pertinent. Ferocitatem aequem ac peruvigilium phrenitico delirio competere solere, constat. Iam vero phrenitidem (quam certe obseruasse sibi visi sunt veteres) desectentem ab hisce quae solitae sunt conditionibus, aliis non minibus insignire consueuerunt. Ita Galenus typhomaniae mentionem facit, quippe quod incedat delirium cum comate somnolento. Additur quidem vulgo lethargus in veterum definitionibus; cum vero hoc affectu tentatum hominem non facile excitari posse postulent, omittendum potius esset hoc additamentum. Immo veteres in genere non sibi ipsos respondere satis affectus soporosos definientes, facile eorum scripta legentes animaduertere poterunt. Delirium cum comate vigili phrenitidem falsam dixerunt. Ita Trallianus; quamvis Sauvages, secutus Galenum, multo aliter

sen-



sentiāt. Phrenitidi falsae et catochi nomen imponitur; voce vero eadem alias etiam aegritudines insigniri, quem quaeso fugit? Vehementem muscularum, actionem furorem, similia non minus quandoque in Phrenitide abesse statuunt. Delirium obscurum cum virium languore in febre continuum, phreniticum ut videbatur dicendum obseruabant. Hinc Galeni notissima hectica phrenitis. Cum enim phrenitis eosque peruererit ut virium languor vrgeat, vitium solidarum partium iam statuendum esse putauit. Eiusmodi vero febrem quandoque veteres hecticam dixerunt. Alias vero et febris ἑκτικὴ opponitur σχετικὴ estque illa febris solitu difficilis. Quin et febri putridae et diariae opponitur. (Conf. Goraeus in definit.). Incipientem, adultam et inveteratam phrenitidem habet Alexander Trallianus. Causam phrenitidis vel cerebro vel aliis remotis a capite partibus insidere posse putant, hinc idiosyncraticam habent et symptomaticam phrenitidem. Loquuntur etiam saepissime de sympto-

matica et secundaria, immo certe plurima sic dictae huius phrenitidis exempla hoc referenda esse videbis. Meminit et Sauvages phrenitidis apyretae, circa quam, ut discedamus ab iis quae forte moueri possent dubiis, id unum monere sufficiat: febri certe non respondere delirium in eiusmodi casu, quippe absenti; hinc notioni phrenitidis difficultatem inde nullam exoriri. Dicitur et cerebri inflammatio cephalitis; meningum phrenitis; abstinentiam vero ab his esse existimo, ne de corporis callosi, ventriculorum cerebri, sinus longitudinalis, aliarumque partium inflammatione sermonem instituere me velle, metum Lectori beneulo iniiciam grauissimum. Siquidem vero in historia morborum specialium phrenitidem iure ut peculiarum aegritudinem describere velis, vix ac ne vix quidem immo paulo non plurimas quas dixi phrenitidis diuisiones admittere poteris. Sunt enim quae repugnant multa, id, quod investigatis huius aegritudinis causis, manifesto patebit.

§. VII.



## §. VII.

Causam, vt inter omnes constat, veteres habuerunt cerebri eiusue membranarum inflammationem. Mirantur recentiores, quod vero mirentur, non omnino video. Facile hanc sententiam inire poterant. Habemus in hoc morbo vehementiorem, quam quae alias unquam occurrit, mentis perturbationem. Animus itaque humanus quidni pronus fuisset, huius mali sedem in illa ipsa parte autumandi quam vario ex respectu menti habemus proximam animique ipsius mutationum inter ceteras corporis partes maxime et facillime participem? Accedit symptomatum certe quorundam similitudo, vt faciei tumor, rubor, oculorum leuis inflammatorius habitus, et quae alia ab impetu sanguinis versus superiora, vt in cerebri inflammatione, ita et in hac aegritudine, quandoque excitari possunt phaenomena. Denique vero vel sectiones cadauerum praegressae inflammationis effectus manifestos prodiderunt. Cerebri abscessus, puris collectio-

alia-



aliamque inflammationis vestigia conspicua sese  
praebuerunt. Nec igitur est, quod de illa mire-  
mur, cui multi indulserunt de cerebri inflamma-  
tione veterum aequae ac recentiorum. Tum  
vero ab altera parte saepius invenerunt dictam  
inflammationem sine ullis quae phrenitidem alias  
comitantur symptomatibus; obseruarunt contra  
phrenitidem nec ullam post mortem capitis  
detegere potuerunt inflammationem. Habent  
quae notissima sunt Willis, Morgagni, Bon-  
net, aliique exempla. Hinc omnis mutata est  
theoria. Abierunt nonnulli in oppositam omni-  
no sententiam, necunquam ab inflammatione ce-  
rebri eiusue meningum hunc morbum natales  
petere statuerunt. Sunt vero, (et ab hac parte re-  
centiorum plurimos stare videbis) qui quamvis  
non semper, quandoque tamen phrenitidem ab  
inflammatione dicta tamquam a vera causa de du-  
cendam esse existiment. Hanc certe quamadmit-  
tant diversitatem *speciem* veri prae se ferre mini-  
me negarem. Sita est in medio plerumque veri-  
tas, favet iam hoc, quod inter oppositas sen-  
ten-

tentias medianas sibi sumant; a motu sanguinis per vasa cerebralia vehementiori, conditione hic vix neganda, exspectari iure posse videtur phrenitis; est porro vere inuenta quandoque illa inflammatio; competit in genere morbis quibusdam natura inflammatoria quos cum ad interiora vergunt, phrenitidem quandoque excitasse, compertum habere volunt, ut retro-pulsam materiam erysipelatis, rheumatismi, arthritidis; collectam aquam concrecentias polyposas aliosve inflammationis effectus praeter haec sectiones docuerunt, ideoque, certe vix esse videtur, quod amplius de concedenda quandoque hac causa inflammatoria dubitemus. Facile etiam largior, multis rationibus, quibus hanc inflammationem omnino refutare co-nantur, parum inesse valoris. Sistant exempla qui ad maniacorum sufficere putant prouocare aegritudinem. Nulla in his, inquiunt, capitis inflammatio, nec igitur erit indistphreniticis. Has similesue rationes minime valere sentio. Qua vero par est, modestia et facile gravioribus

bus argumentis cedendi pronitate profiteri licet: illis argumentis nec cerebri inflammationem, ut in ullo casu vere valentem causam probari. Dictas enim rationes *dubia* haberem non vero quae contrarium evincere, vere probare valeant *argumenta*. Elucebunt haec clarius, si ad singula respiciamus. Posita inflammatione, motus per vasa cerebralia vehemens phrenitidem ut effectum explicabit. Fac vero hunc effectum explicari inde posse (quamuis ego quidem vix putaverim hunc posse determinari effectum, quin eadem causa simul febrem accendat, similem, delirio respondentem ideoque phrenitici delirii notioni aduersam) effectum quem excitare posse putas, explicabis, non autem dictae cause effectum vere existere probabis. Vbi vero vere inventa est inflammatio, ibi certe, an effectum potius quam causam morbi sistat, inquire prius oportet, nec igitur et hisce anatomicorum testimoniorum per se vti nobis licebit. Simile quid obseruare mihi videor in multis aegritudinibus. Febre putrida defuncti quoties nonne cere-

bri



bri abscessus anatomicorum adspectui praebuerunt? Febris puerarum aegrotantem nullam e medio tollit, quin partium abdominalium inflammationem excitaverit, in sectione deinceps conspicuam. Et egregie tamen fallitur qui in utraque aegritudine tempore auxiliis medicorum parandis concessa inflammatoriam admitteret causam sanandam. Erysipelati retrogradi, similibusue morbis naturam in genere competere inflammatoriam nemo negabit. Sunt causae excitandis inflammationibus persuam cognitam naturam, vim nempe irritationis, pares. An vero ita retrocedentes morbi inflammationem dictam vere excitauerint, et quod accedit, hanc excitando verae phrenitidis causae fuerint, nulla video quae evincant argumenta. Similia valent de polyposis excrescentiis aliisque ut volunt inflammationis sequelis. Fac etiam hinc probari praegressam inflammationem, an ideo haec veram mali causam constituit? Hanc igitur hoc loco non absolute negare in animo est, an vero ipsis rationibus euinci queat, iu-

re



re mihi dubitare videor. Optime vero ad gradum inflammationis forte respiciunt. Non ubique comparuere inflammationis vestigia, cum vero eius gradu res omnino forte niti queat inde non intelligitur, nunquam phrenitidem causari posse. Certum etiam esse videtur, si ullam, perexiguam inflammationem, ut causam phrenitidis admitti posse, talem nempe, quae irritamenti vices gerens, inflammationis autem nomine vix digna ad simplicis congestionis naturam accederet. Haec forte sunt quae theoria habet argumenta, practica vero ab obseruationibus petita infra dicenda veniunt.

### §. VIII.

Iam vero videamus, quo iure causam circa praecordia haerentem siue gastricam accusare videantur. Maximo certe, nisi nos fallant quae summam prae se ferunt veritatis speciem. Bilem virulentam siue ut quid sentiam ingenue dicam causam in genere gastricam irritantem

tantem, et spasmus p[re]cordia afficientes nec  
 non ip[s]i euacuationi aduersos, caussas suas  
 phrenitidis agnoscit, vt nunc saltem mox pro-  
 bare licebit, saepissime p[re]fentes. Quae  
 suadeant, fere haec sunt. Omnia quae p[re]a-  
 cedere solent symptomata, ita certe sunt com-  
 parata vt de affectis hoc tempore praecordiis  
 dubium vix relinquant. Variae illae quas dixi-  
 mus, circa has partes molestae aut dolorificae  
 sensationes, caligines vertiginosae, vrina biliosa,  
 facies oculorum icterica ad canthos internos,  
 aliave multa supra quoad maximam partem  
 enumerata huc pertinere nemo non intelligit.  
 Ipso vero morbo iam p[re]fente, quae comitan-  
 tur illum, phaenomena eiusdem conditionis esse  
 morbi historia eadem omnino ratione satis su-  
 perque probat. Hypochondria tensa, faeces  
 saepe albae, aliuis sicca, et caetera similia  
 p[re]sto sunt, quibus eadem certe competit  
 origo, quae prioribus p[re]uiis symptomatibus.  
 Respiciamus etiam stadii prioris longitudinem  
 quam obseruare saepe licuit. An respondere hoc

C

mo-

momentum posse putas inflammationi? vbi  
 quaeſo inflammatio praefto eſt, ita decur-  
 sum ſuum abſoluens? Eminet in hoc malo  
 affeſtus iracundus, quod quidem ſolum mo-  
 mentum, eleganter monente *Torti*, ad cauſam  
 biliosam nos ducere poſſet. Huius enim ani-  
 mi pathematis cum bilis functione et natura  
 pexum aliis innumeris obſeruationibus poſſe  
 confirmari physiologia aequa ac pathologia  
 ſuppeditare poſſet certa exempla. Nonne quaे  
 ſaniflamma nunc bilis eſt temporis momento in-  
 ter neruorum turbas in virulentam conuer-  
 vere poſteſt? Oritur itaque ex hoc respectu quae-  
 dam cauſae biliosae ſuspicio. Grauiora vero  
 ſunt quaе ex iſpis obſeruationibus peti poſſunt  
 argumenta. Huc refero, quod neminem fu-  
 git, vniico emetico non raro omnem ſanatam  
 eſſe phrenitidem. Veniunt certe Lectori be-  
 neuolo in mentem quaе hac de re habet exem-  
 pla Celeberrimus van *Swieten*. Similia vero ha-  
 bent Brendel, Stoll, Schroeder, aliique multi.  
 Immo vel iſpius Hippocratis dictum: para-  
     phre-

phrenitidem emeticis sanatam fuisse quem quae-  
so fugit? Aequo vero notissimum est inter me-  
dicos non raro repente ortam esse phrenitidem  
ipsam, instituta in primo stadio venae sectione.  
Quid si et hoc momento ad probandam huius  
aegritudinis naturam vti queas? Venit certe  
inmentem quod tritum docet proverbum:  
Sanguinis domitorem esse bilem; hinc bilis  
mox recordamur. Quod vero leue hoc esse  
videtur argumentum, id mihi grauius factum  
esse fateor, cum phreniticum instituta hoc tem-  
pore venae sectione statim in apoplexiā lethā-  
lem incidentem videre mihi licuerit. His ego  
omnibus aliud argumentum addere non dubito.  
Veteres febrem phreniticam, vt supra monui,  
hemitritaeam quandoque obseruarunt. Hemiti-  
triteus vero pertinet ad morbos bilioſos, eos  
nempe, quorum sordes propter propriam na-  
turam ad excitandas partium abdominalium in-  
flammationes admodum pronae sunt. Est in  
genere haec, vt obseruare mihi videor, quae-  
dam inter varias aegritudines naturalis affinitas:

C 2

com-

competit nempe quibusdam character biliosus, tempore quo remediorum vim non eludunt, morbi biliosi spectandi sunt; dein vero propter sordium acrimoniam, aliarumque circumstant conditionum indolem, inflammations plerumque lethales huius illiusue partis causantur. Hoc verbi gratia de hemitritaeo et de febre puerarum ferendum esse videtur iudicium. Iam vero dictam aegritudinum conditionem medici illas sanaturi summa attentione dignam fine dubio habebis; hinc quod characterem aegritudinis specialem sistat, satis gravis erit, ideoque in systemate aegritudinum iis proprium parare poterit locum.

### §. IX.

Vt vero eo magis omnis remoueatur de inflammatione cerebri eiusue meningum suspicio, quatenus nempe phrenitidis causam esse statuunt, partim quae priori paragrapho laudauimus, partim vero, quae de vere inflammatio cerebro chirurgis frequentissime obseruare  
datum

datum est, veniunt comparanda. Capiti violenta causa admota, vix saepe vlla integumentorum conspicitur laesio, certe non grauior. Intercedere etiam solent aliquot dies, saepe octo pluresue, nullo praesente morboso symptomate. Accedit dein febricula pulsu paullulum celeriori primum monente. Haec vero pulsus conditio mox notabiliter increscit, atque remediis vix cedit, ut alias obseruamus. Iam certa occultae cerebri laesisionis oritur suspicio, a prudenti vero medico multo citius in aegrotantis salutem post omnem grauiorem capitum violentiam assumenda, quamuis quae id nunc suadeant, deesse etiam videantur symptoma. Die itaque plerumque decimo vel decimo secundo cephalalgia, rubor oculorum viriumque prostratio accedunt. Febris luculenta, horrores, et corporis aequa ac mentis quietudo comparent. Hisce vero praegressis (quod arte non peritus vix exspectasset,) soporosi et paralytici affectus mortem timendam annunciant. In hoc autem aegrotantium genere

cerebri inflammationem, eiusue sequelas toties detexit cadauerum inspectio, vt certi simus de causa aegritudinis in mortem vergentis. Iam vero, si a leuiori oculorum inflammatione aliisque congestionum sequelis discesseris, quae et ipsi phrenitidi quandoque superueniunt: vbi quae-  
so sunt symptomata, quibus fretis vllam, quae has aegritu dines forte intercederet, causarum similitudinem non dicam probare sed suspicari nobis liceat? Nulla certe omnino, sed potius opposita. In illa enim aegri sunt mentis compotes, id quod in ipsis quae soporosos affectus intercesse-  
runt temporibus quandoque fuit obseruatum; in nostra vero delirium eminet. Obseruantur similia, cum pure alioue liquore praeter naturam idiopathice afficiatur cerebrum. Libero ef-  
fluxu puri concessso, symptomata mentis affec-  
tiae vix vlla, denegato vero, non alienatae mentis, sed apoplectica symptomata aut similia accedere solent. Et certe rei ipsius natura alium morbi decursum indolemue non concede-  
re videtur. Quid enim, ipsa primaria parte,  
cui

cui vis sentiendi inhaeret tamquam fonti, affecta, vis eius ipsa destruitur et turbatur: cerebro itaque idiopathice grauiter affecto iure somporosus similesue affectus exspectarem; hoc autem fonte plane non obstructo, a causa vero partibus aliis inhaerente irritante vehementer lacesito, quid quaero mirum, in vehementes et omnino insolitas actiones erumpere, et infanias hinc nasci feroce? Ita vero res in phrenitide sese habere obseruationes aequae ac argumenta dicta suadent. Congestionum impetu, sympathicae causae effectu, vis sentiendi increvit, non vero idiopathica inflammatoria causa imminuitur, sed illa ratione adacta vim irritamenti remoti viuidissime sentit, ideoque in motus ducitur praeter naturales, volo phreniticos. Antecedentis autem paragraphi argumenta huc accedunt, neque sine ratione inde deducitur inflammationem, in ipsis phreniticis quandoque repertam, morbi effectum sistere potuisse. Confirmant haec aliarum inflammationum exempla, cum verbi gratia pleuritionum

C 4

dis

dis argumento, biliosas quandoque habendas esse inflammationes euinci queat certissime.

§. X.

Causae igitur circa praecordia haerentis effectum quam saepissime fistere phrenitidem extra omnem positum est dubitationem. Mitto vero omnino rationem qua forte producere valeat hunc grauem affectum. Memini me audiuisse, preeprimis sensilem abdominis partem in hoc casu a bilioso somite irritari. Vnum tamen adnotare liceat circa hanc causae morbi-  
ficae agendi rationem probabilem. Non solam accusare poteris bilis acrimoniam. Praestò est haec maxima ut destruantur non solum par-  
tes excoriatione, quas virulenta bilis reiecta tentauit, sed in ipsam aeger incidat lypothymiam; nec tamen obseruatur phrenitis. Hy-  
pothesin non omni veritatis specie destitutam forte haberet, si ad ipsos quae causam gastrica-  
cam includunt spasmos, eorumque vim eu-  
cua-

cuationi aduersam, irritationis vero sequelis propagandis parem prouocares, fede irritamenti praeter naturalis minime tamen omnino neglecta.

### §. XI.

Comparatis autem et aliis hac de aegritudine obseruationibus, dicta causa minime sufficere videtur: accusandas potius esse referunt multo plures, quarum mox has mox illas remouendas esse statuendum sit. Ita nempe motum per vasa cerebralia rapidum causam fuisse contendunt; infanias vere phreniticas ab insolatione natales petiisse frequenter narrant; venae sectionem, et ne multa antiphlogistica medendi methodum solam utilem fuisse adiiciunt; alii vermes ingestis sibi ingratis turbatos, alii acrimonias varias accusant, systemati neruorum inimicas, ut veras quandoque phrenitidis causas. Pergunt alii, quandoque accedere phrenitidem non solum febribus exanthematicis (variolis, miliaribus, morbillis, forte

vt putant propter metastasim acrimoniae ad cerebrum) sed simili etiam ratione febribus inflammatoriis (tentata nempe hac illae parte inflammatione, vt de peripneumonia saepissime, de enteritide vero, erisipelate aliisue inflammationibus idem quandoque valere statuant) nec non febribus continentibus (suppressis praecipue sanguinis euacuationibus), febribus neruosis, aliisque forte pluribus morbosis corporis humani affectionibus, vt passioni iliaca.

### §. XII.

Si vero tot iure admittendae essent variae phrenitidis causae sanandae, quid quaeso est, quod peculiarem habeamus aegritudinem? quid est quod delirii continuitatis charactere ita abutatur, vt sine ratione magna aegritudinum cohors augmentum capiat inutile? Ego certe fateor si res ita vere sese haberet, nunquam phrenitidis in specie facturum esse mentionem in systemate aegritudinum bene constituendo.

Addi



Addi enim posset delirii cuiusuis in genere explicationi, quae de phrenitide nunc in specie monenda videntur, re ipsa vero sine omni vitiitate modo repetenda venirent. Mittendus itaque esset omnis continuitatis delirii character, quippe inutilis, nec quae speciale aegritudinem ponat, et negotium practicum in specie dirigat, comparatus. Tot vero causis falso forte admissis, paucis, iisque cognitu facilibus in ipsa rerum natura modo in eiusmodi continuo delirio valentibus, quid sit, video, quod faciant peculiarem aegritudinem, et hanc igitur sibi sumat viam nostra meditatio.

### §. XIII.

Prius tamen remouere studebo, quae ex ipsis sectionibus contraria peti possent argumenta. Sunt notissima quae habet Timmermann in supra laudata dissertatione de phrenitide idiopathica. Vitia cerebri inuenta fuere, non vero circa praecordia. Nonne vero quod repone-re medici solent valde probabile est? vitia nem-

pe

pe humorum in sectionibus ut compareant exspectari non facile posse? Si nempe in minimis hepatis, lienis aliorumque viscera um vasis partes haerent corruptae; latent certe in tenebris. Quem enim nostris temporibus fugit, in aegritudine gastrica non semper stricte sic dictas vias primas sordibus manifestis scatere, sed ipsa viscera saepe somitem morbosum continere, in primas vias ut redeat sanitas arte vel natura necessario ducendum? Vbi hoc valet, ibi certe eodem iure gastricum habebis morbum, quo aliud cuius sordidam caufam ipsis oculis in ventriculo aut intestinis detegere posses. Morbis vel aliis vere gastricis defuncti causam hanc manifestam aegritudinis non semper dabunt conspicuam anatomicis, id quod nemo negabit. De capitis vero laesioni bus supra iam dicto modo ferendum forte est iudicium, vim nempe morbi has induxisse. Nec vero dissentit laudatus egregius auctor, ut forte videtur. Cerebrum nempe ita in bilem agere monet, ut hanc saepe obseruatum esset

agere

ex-  
mis  
rtes  
oris.  
itu-  
vias  
ipla  
ere,  
tura  
ibi  
or-  
fam  
ge-  
de-  
inis  
, id  
ni-  
est  
sse-  
or,  
em  
et  
ere  
agere in illud; biliosum itaque morbi characterem ab inflammatione praevia, stadii melancholici causa, produci posse. His igitur etiam confessis, morbi ipsius dicta natura gastrica minime negatur. Explicationi vero laudatae difficultatem a stadii melancholici longitudine pertendam obstat vides. Accedit saepe post capitum admissa vulnera vomitus comparuisse biliosas aliasque bilis manifestas a statu sano alienationes; nunquam vero inde Phrenitidem.

#### §. XIV.

Ideo vero tot Phrenitidis causas (§. XII.) a medicis constitutas esse existimo, quod quae ad phrenitidem iure referri nequeunt aegritudines hoc tamen referre non dubitauerint. Amplectuntur varios status morbosos communis phrenitidis nomine, quibus plane non unicus communis character morbi (iure pro peculiari ideo habendi) competit.

Quod



Quod quidem ut pateat clarius: inuestigandum primum erit in genere, quomodo delirium, aegritudinis acutae formam praferens simul cum febre ita tamen contingere queat, ut plane febri non respondat? Quaerendum est, ne negligatur hic aliasve casus, primum de possibilitate huius conditionis in genere. Hisce dein accedat quaestio: an singula quam euenire posse putamus huius delirii conditio vere existat, et si hoc, an referenda sit ad phrenitidem ut morbum specialem? Hisce igitur quaestionibus quae respondeam habeo haec.

### §. XV.

Leuissimum et restitutis viribus mox evanescens delirium ideo phreniticum forte habere quis posset, quod febri recte respondere non videtur. Ita iudicandi facultas superstite post febris grauiorem paroxysmum neruorum debilitate leuiter turbata quandoque obseruatur.

Nemi-



Neminem vero qui hos similesue casus ad phrenitidem quam volumus referendos esse existimet, fore puto. Leuissima ratione perturbata est iudicandi facultas, vix iure delirium appellatur; viribus mox cedit, nec aegritudinem acutam constituit. Misso itaque hoc casu, mox ad alterum transeamus. Graue, longum, periculosum, sed obscurum cognitum est delirium. Has refert dictas conditiones neque tamen pro febris gradu eas ita exspectares. Res ita se habet in febribus neruosis, et hoc forte loco Galeni hectica phrenitis ponenda veniret. Quod si enim hoc nomine illum insignire velis casum, quo furibundum phreniticum delirium, re tandem conclamata languorem virium summum inducit, quid quaeſo eiusmodi in fine morbi nunc conspicuum delirium propriam haberet aegritudinem? Nunc (actum enim est de vita aegrotantis) ita conspicuum delirium a paralytica neruorum affectione proficiſcit, nec mirum est, quod febri non respondeat; nihil notatu dignum in  
hac

hac est delirii continuitate, nihil omnino quod medici interesse queat, sed mors in-  
evitabilis. Fac vero hecticae Phreni-  
tidis nomine alteram quam diximus delirii conditionem comprehendendi, in febribus neruo-  
sis praesentem. An hanc phrenitidem iure habebimus? Negarem, fretus quod dicam argumento. Quod febri non respondere putant delirium, id vere et omnino responderet. Signis quae nempe febris diagnosin largiuntur veram res omnis haec nititur. Constat vero de his, et febrem itaque neruosam multo minus solo pulsū diiudicandam esse quam alias, itidem constat. Falsis eiusmodi signis fidem habeas, et ita grauissima erit febris quaecunque neruosa, ut leuissima tibi videbitur. Hoc vero momento non neglecto omnis remouetur in hoc casu delirii continuitatis iusta suspicio. Est delirium febrile; instar febris, cui symptomi cum accedit delirium, sanatur, nec igitur phrenitidis nomine dignum haberri unquam poterit. An ideo forte decepti plures sunt me-  
dici?

dici? an explicare inde licebit quid sit, quod institutam saepe videamus comparationem phrenitidem inter et febres neruosas? Nonne simili nititur fundamento aliorum febris neruosae notio, cum febrem ponant cum singulari phrenitide nexam? Sed facile mittimus haec, si modo pateat, omnes has similesue ita dictas phrenitides ita minime esse dicendas. Simile ferendum est iudicium de omni phrenitidis secundariae casu, quem variò modo in libris medicorum enarratum et instar phrenitidis descriptum esse videmus. In de cursu aliorum morborum tandem sub fine deliria plenumque erumpunt lethalia saepe phrenitica dicta. Has vero ita comparatas et descriptas aegritudines minime mouere nos iure posse, ut propriam constituamus aegritudinem phrenitidis nomine insigniendam, multa sunt quae doceant. Inuenies enim in hoc casu 1) multas morborum historias quae quidem delirii continuitatis nullam omnino faciant mentionem, immo contrariam adfuisse delirii condi-

D

tio-



tionem; quandoque claris verbis adiiciunt.  
Non ita rarum est, apud recentiores legere:  
das Toben nahm *nebst dem Fieber* stündlich  
zu, referentes phrenitidis historiam. Alii de-  
lirii longi aut vehementis cuiusvis conditionem  
continuitati male explicatae substituunt. Per-  
nit huc etiam, quod supraadieimus, veteres  
nempe bene monente Cl. Vogel omnes quibus  
mens in febre non constabat, mox appellasse  
phreniticos. Casus vero phrenitidis alii ex  
aliis petierunt obseruatores; de delirii conditio-  
ne minus solliciti, nomine phrenitidis autem  
freti, ex variis historiis, vbi nomina phreni-  
tidum occurrunt, caussas eruere studuerunt.  
Ita collectas caussas phrenitidis, ut peculiaris  
aegritudinis causas, hinc multas habuerunt. In  
multis itaque de phrenitide secundaria histo-  
riis delirii continuitatis conditio vel neglecta,  
vel negata; vel dubia est. 2) Induunt saepe  
febres in decursu characterem neruofsum. De-  
lirium nunc forte conspicuum dicitur phreni-  
ticum. Quo vero iure, supra iam probasse  
mihi

mihi videor. 3) Si ab his discesseris, alios casus secundariae phrenitidis superesse videbis, qui quod vere continuū delirii in iis fiat menatio, phrenitidis nomen iure sibi vindicare videantur. Immo vero vel ita comparatae aegritudines non iure habendae sunt speciales, nec phrenitidis nomine dignae. Inuestigata enim quaestione: quid sit, quod delirium aliis grauioribus morbis quandoque accedens phrenitici delirii conditiones quasdam referat? rite instituta meditatio hanc largietur responsionem. Causae febriles et aliae, quae prius mediante febre (congestioibus nempe, et sic porro) delirium producere valebant sibi respondens, nunc multo grauiores redditae per se turbant neruorum systema; ideoque delirium caussantur febri non satis omnino respondens. Sunt vero, quod bene notandum, caussae tamen eadem, agendi ratio vero diuersa. Antea enim delirium constituebat effectum earum secundum, mediante ipsa febris natura procreatūm; nunc effectum socium. Accedit: hac quae nunc

D 2

forte



forte patet delitii continuitate medicum ut peculiari aegritudinis charactere in aegri salutem vti omnino non posse. Arceat aegritudinem, ne ad hoc vehatur sumnum vestigium periculi plenum; ipso vero praesente quid quaefo superest, quam vt causas aegritudinis impugnet, cui accedit sic dicta phrenitis. Huius enim accendentis mali nullae sunt propriae caussae remouendae. Qui igitur his et similibus morborum historiis vti posse putarent, vt proprium in systemate aegritudinum phrenitidi locum parare queant: ii certe saepius frigus eorum qui in agone versantur marmoreum describere eiusque vt morbi specialis causas constituere mihi viderentur.

### §. XVI.

Remotis quae sub nomine phrenitidis aegritudinem specialem fistere nequeunt remouendis aegritudinibus: alias superesse video, vbi non solum vera obseruata fuit delirii, acuti morbi speciem prae se ferentis, continuitas,

tas, sed ceterae etiam adfuere conditiones quae quod specialem habeamus aegritudinem, in salutem aegrotantium non suadere sed postulare potius videntur. Est quam descripsimus supra phrenitis. Praesto fuit vehemens delirum vere continuum et stadium plerumque praeuium fuit melancholicum. Statim vero et hoc loco difficultatem nasci video. Similem aegritudinem obseruarunt a bile et spasimis; vermis primarum viarum turbatis nervorumque systema dein mirifice turbantibus; haemorrhagiis suppressis; acrimoniis retrogradis sive molientibus eruptionem: sanguinis denique orgasmo, phrenitidis vel vera vel socia certe causa. Non est quod dicta probare singulis studeam, quae medico cuius facillime hoc loco in mentem veniunt obseruationibus. Iam vero comparatis §. I. et II. laudatis argumentis, propter causarum multitudinem, ne protopathica quidem phrenitis, quae specialem sifstat morbum e re medicinae esse videatur. Facile autem remouebitur hoc quod

D 3

dixi

dixi argumentum. Si nempe a gastrica causa discesseris, *primum* ceterae quas diximus causas non ita exacte, certe et frequenter ab observationibus vindicatas esse iure meritoque profiteri posse mihi videor. Rarius itaque contingunt. Accedit *deinde* quod singulae hae causae cognitu sint facillimae. Sanguinis verbi gratia orgasmus et leuis forte inflamatio, causis praegressis (verbi gratia insolatione) et symptomatibus praesentibus manifestis facie verbi gratia tumida, rubra, oculis rubris, temperamento non bilioso sed mobili calido et sanguineo habitu plethorico, doloribus, aliisque praecipue congestionum sequelis valde conspicuus est. Quae vermibus inimica sint ingesta, quae anthelmintica, quae vermium signa forte praegressa; suppressam esse haemorrhagiam; interiora petuisse hoc illudue exanthema; sunt certe haec omnia ita in genere facillima cognitu ut nihil facilius. *Denique* omnem hac de re controverfiam mitti posse senties, habito ad stadium melancholicum respectu. Si a prima dif-

ces-

cesseris causa; id nullibi alias vñquam compa-  
ruit, supra enarratis symptomatibus stipatum.  
Vbi vero hoc praevium fuit, (maiori vel mi-  
nori gradu ceteroquin incesserit) ibi certe *aegri-*  
*tudinem habebis spastico-gastricam.*

### §. XVII.

Ideo itaque proprium sibi in aegritudini-  
num systemate locum vindicabit Phrenitis:  
quod ita est comparata delirii continuitatis con-  
ditio, vt cum hanc aegritudini protopathicae  
acutae competere videamus, per hucusque fa-  
ctas obseruationes nostra statim valeat vera con-  
clusio ad aegritudinem *spastico-gastricam*; ni-  
si forte *in casu multo rariori* ad alias dictas causas  
fanandas respiciendum sit, quoad numerum vero  
per paucas quoad diagnosin *longe facillimas*,  
quoad causarum nexus vix vñquam solas sed  
potius *socias*.

### §. XVIII.

Confirmantur dicta hac breui meditatio-  
ne. Mirum non est causas *verae phrenitidis*

D 4

mul-



multas remoueri posse, quippe quae delirium  
quidem febrile non vero phreniticum accidunt.  
Multae enim illae causae mediante febre deliri-  
um causantur, hinc delirium respondens; in  
phrenitide autem, vbi ratio febrem inter et de-  
lirium multo alia intercedit, hic etiam caussa-  
rum nexus non erit exspectandus. Statuen-  
dum potius erit caussam delirii, per se quasi  
in hoc morbo vigentis, in parte corporis hu-  
mani haerere, cuius constat mirificus cum capite  
et singularis ita nempe comparatus consensus, ut  
sanguinis orgasmi febrilis tanquam causae inter-  
cedentis non opus sit interuentu, ut irritata hac  
parte oboriatur delirium. Hoc vero de nulla  
alia parte ita valebit quam de abdomine. Nervorum  
abdominalium est nexus cum ipsa men-  
tis officina ita proprius et unicus, ut sola eorum  
irritatio delirium vere phreniticum sympathica  
ratione causari valeat. Nervis enim ceteris  
commercium quidem est cum cerebro, non vero  
ita proximum unicum, ita nempe comparatum  
ut irritati non simul simili gradu vasorum san-  
gui-

guiferorum sistema turbent, hinc febrem  
delirio respondentem accendant. Videatur  
autem haec theoria nimiam audacitatem, sub-  
tilitatem, vel meram redolere hypothesis; illa  
tamen hypothesis inter omnes ceteras erit  
lubentissime concedenda, qua, quod obser-  
vationes iam euincere et probare voluerunt,  
nunc, quomodo et rationi forte respondeat feci  
periculum explicare.







WD 18  
Pica



1

DE LAVDE  
MEDICAMENTORVM  
SIMPLICIVM RESTRINGENDA

ILLVSTRIS AC GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E  
D. IO. FR. GOTTL. GOLDHAGEN,

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE NATVRALIS  
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, CIRCVLI SALICI,  
COMITATVS MANSFELDENSIS ET CIVITATIS  
HALLENSIS PHYSICO

PRO  
GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
SOLEMNITER CONSEQVENDO

AD DIEM XXIX. SEPTEMBER. CCCCCCLXXXIV.

H. L. Q. S.

PVBlice DISSERET  
AVCTOR  
ISAAC DAVID LEVI  
HALLENSIS.

HALLAE  
TYPIS FRIDERIGI DANIELIS FRANCKE.

